



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||  
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

Med. I. De Conceptione B. Virginis matris Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

DE CONCE-  
PTIONE B. VIRGI-  
NIS DEI MATRIS.

MEDITATIO I.  
SCRIPTURA.

**D**OMINVS possedit me *Prou. 8.*  
in initio viarum suarum,  
antequam quicquam face-  
ret à principio, ab æterno ordi-  
nata sum, & ex antiquis antequã  
terra fieret: Nondum erant abyf-  
si, & ego iam concepta eram, &c.

FIGURAE.

1. **D**eus in Lege mandauit arcam *Exod. 25.*  
testamèti fabricari ex lignis  
incorruptibilibus, intusq; & foris  
regi auro purissimo.
2. Salomon construxit thronum *3. Reg. 10.*  
grandem, & regiũ, in quo sederet,  
ex ebore candidissimo, eumq; vesti-

A uit



2<sup>a</sup> MEDITAT. DE

uit auro purissimo fuluo nimis: de quo throno testatur Scriptura in nullo mundi regno tale opus esse fabricatum.

PROPHETIAE.

*Prou. 9.* 1. SAPIENTIA edificauit sibi domū,  
excidit columnas septem.

*Psal. 45.* 2. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

*Psal. 95.* 3. Domum tuam decet sanctitudo Domine.

*Cant. 4.* 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

CONSIDERATIONES.

*Panct. 1.* SALOMON rex sapiētissimus, dum ex vna parte damnum maximum vnus mulieris imprudentia & inconstantia toti humano generi illatum, consideraret; (nam diuini mandati præuaricatione non solum introduxit mortem in orbem terrarum, sed etiam oclusit cælum, seq; & totam posteritatem æternæ maledictioni subiecit.) ex altera verò parte spiritu Prophetico præuideret in mundum vëturam aliam mulierem sapientem & cōstantem à Deo promissam, quæ prioris mulieris da-

ma



B. VIRGINE. 3

mana esset restauratura, vt inimicus  
idem, qui per mulierem vicerat,  
per mulierem quoque vinceretur, *Gen. 3.*  
admiratione quadam vehementi  
attonitus dixit, *Mulierem fortem Prou. 31.*  
*quis inueniet?* quasi diceret. Si ex  
arbitrio & manu vnus mulieris  
pendet salus nostra, & ruinæ no-  
stræ remedium, & innocentia resti-  
tutio, & contra potentem aduerſa-  
rium nostrum victoria, conuenit eã  
admodum esse fortem. Sed quis talẽ  
inueniet? & quasi vaticinans subiũ-  
git. *Procul, & de vltimis finibus pretium*  
*eius.* Nõ erit hæc mulier exigui pre-  
tij, sed nec maximi, quantum potest  
in hoc mundo reperiri, sed inde ab  
extremo & summo cælo pretium  
eius deuocandum est. Age lætare  
Salomon, tecumque lætetur mun-  
dus totus & exultet, quia iam in-  
uenta est illa mulier fortis, iam de  
cælo venit. Et quis alius eum inue-  
nit, nisi magnus ille Archange-  
lus Gabriel, hoc est, si interprete-  
ris, fortitudo Dei? atque erat cer-  
te valde congruens à DEO for-  
tissimo ad mulierem tam fortem  
amandari quoque ita fortem Le-  
gatum. Multorum aliorum Sancto-



4 MEDITAT. DE

rum prædicatur fortitudo, singula-  
resque victoriæ ab eis relatæ aduer-  
sus carnē, passiones & affectus pro-  
prios, dum vi eas spiritui & rationi  
subiecerunt, de quibus scriptum est.

*Pro. 16.*

*Fortior est qui dominatur animæ suæ ex-  
pugnatore urbium.* Verum vti inimici  
eorum erant domestici, ita sæpenu-  
mero contingebat, vt nunc eos vin-  
cerent, nunc vicissim ab eis vincerē-  
tur: at beatissimæ Virginis eiusmodi  
fortitudo fuit, vt nunquam cogno-  
rit vel experta sit perturbationē ali-  
quam, vel tentationem ex causa ali-  
qua interna proficiscentem, (omnes  
enim animi vires & sensus ordina-  
tos & rationi subiectos habebat) sed  
summa quadam pace & quiete fruc-  
batur. Vnde ipsa instar aciei armato-  
rum militū bene ordinatę, ob admi-  
rabilem omnium virtutum in ipsa con-  
sensum & conspirationem, huma-  
næ naturæ hosti tam erat facta terri-  
bilis & formidabilis, vt nec insulta-  
re, nec etiam adiungere se ei auderet.

*Cant 6.*

Hæc est mulier illa, cuius fortitudo

*Est. 3.*

à custodibus corporis regis Persarū,  
omnibus rebus fortibus est antela-  
ta: nam hæc nō solum vicit tam ma-  
gnum hostē, sed etiam suæ charita-

tis &



B. VIRGINE. 3

ris & humilitatis fortitudine vicit  
fortissimum Deum. O magna & ad-  
mirabilis amoris potētia, qui solus  
de Deo triumphat, eiq; quasi manus  
ligat, ne nos secundum merita casti-  
get. Verē magna, & commēdatione  
dignissima fuit fortitudo Iudith vi-  
duæ, quę sola vicit Holofernem ho-  
stem, & populū suum à seruitute &  
morte liberavit. At lōge maior fuit  
fortitudo huius Virginis nostræ,  
quia non solum vicit & profligavit  
Tyrannum infernalem, sed etiam  
Deum introduxit in mundum, verū  
& legitimū dominum nostrum, per  
quem liberati à morte ad æternam  
vitam vocati sumus. Hęc deniq; est  
illa fortissima turris David, è qua  
vri scriptum est, *pendens mille clypei,*  
*& omnis armatura fortium.* Vnde Sa-  
piens de hac muliere agens optimē  
subiecit *Multa filie congregauerunt sibi*  
*diuitias, tu supergressa es vniuersas.*  
Nam aliud non fuit MARIA,  
quam hortus ille conclusus, in quē  
Spiritus sanctus pulcherrimos quos-  
que flores & fragrantissimos odo-  
res, qui inter homines in terra, &  
inter Angelos in cælo inueniri po-  
tuerunt, collegit. Verē hortus deli-

*Iud. 12.*

*Cant. 4.*

*Prou. 31.*



Sancti 4

6 MEDITAT. DE

tiarum, in quem superueniens secundus Austri instar Spiritus sanctus non solū eū ditauit, sed ita repleuit, yt ex omnibus partibus, quasi fons redundans, riuos suos effuderit.

2. CONSIDERA, quantam gaudij materiam angelis in cælo, & in terra hominibus attulerit huius fortissimæ mulieris Conceptio, quia eo ipso momento principium datum fuit restaurationi cælestis Hierosolymæ, & nobili operi humanæ redemptionis. Tunc enim cōcepta fuit illa, à qua creator & redemptor mūdi, pro salute generis humani carnē erat assumpturus, & homo futurus. Tunc diuinæ sapientiæ manu plantatus est Paradisus deliciarum plenus, omni voluptate spiritali circumfluens, varijsq; virtutum ac donorū cælestiū floribus exornatus, in quo secundus Adam CHRISTVS redemptor noster erat collocandus. Tunc quoq; plantata fuit scelix arbor vitæ, cuius viuificus & salutaris fructus mederi debebat omnib<sup>9</sup> humanis infirmitatibus, æternamq; vitā & salutē hominibus conciliaturus. Tunc in Ecclesię horto ex radice Iesse germinauit virga regia, è qua ex-

ORTUS.

Isa. II.



ortus est flos pulcherrimus, in quo  
 requiescens spiritus Domini pleni-  
 tudinis illi<sup>9</sup> oēs homines participes  
 effecit. Tūc deniq; Spiritus sanct<sup>9</sup> ce-  
 pit ordiri telā illā ē qua cōfici debuit  
 nostræ mortalis nature vestis, ad in-  
 duendum ea æternum Dei filio.  
 Jam quia semper proprium fuit æ-  
 ternæ sapientie, conuenienter offi-  
 cijs homini attributis, conferre gra-  
 tiam, donaq; cælestia, planè sticitur  
 cum post Dei filium, nullo fuerit in  
 mundo creatura sua sanctissima Ma-  
 rre dignior & nobilior, gratiā ei celo-  
 tus communicatā hoc lōgius excelsi-  
 sisse omniū reliquorū Sanctorū gra-  
 tiā, quo dignitas ei<sup>9</sup> fuit sublimior,  
 nempe cuiusq; alij, etiam angelicæ  
 præferēda. Quare & in persona eius  
 rectissime scriptum est. *In plenitudine* *Eccl. 24.*  
*Sanctorū detentio mea.* Ac verè omniū  
 illarū virtutū, donorūq; alijs sanctis  
 à Spiritu S. cōmunicatorum pleni-  
 tudo rota simul inuēta est in Maria.  
 In ea enim fuit fides Patriarcharū,  
 spes Prophetarū, Apostolorū zelus;  
 constantia Martyrū, sobrietas Con-  
 fessorū, castitas Virginū, atque etiā  
 puritas Angelorū. Adhæc perfectio  
 & dignitas hui<sup>9</sup> Virginis, facile col-

A 4. ligy.



8      MEDITAT. DE

ligitur ex summa dignitate & sanctitate Christi filij eius, cuius sacratissimam humanitatem, ratione diuinæ personæ cui vnita fuit, cōueniebat ornatam & plenā esse omnibus gratijs ac donis, quæ in cælestibus thesauris recondita latebant, vti de eo restatus est sanctus eius præcursor, dicens, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Et rectè Nam cum honor vel dignitas illius naturæ, quam filius Dei assumpsit, redundatura fuerit in Deum ipsum, congruens certè erat sacram illam humanitatem tanta sanctitate & perfectione dotari, vt nihil in ea inueniri posset, quod tantam Maiestatem aliquo modo obscuraret Cum ergo honor & gloria filij cum matre sit communis, secundum illud Scripturæ, *Gloria filiorum Patres eorum* : necessario fatendum est, Matrem filij Dei summa quadam dignitate & sanctitate super omnes alias creaturas dotatam & locupletatam esse. Si ergo decus, vel dedecus filij, pendet ab honore vel dedecore matris, qualis esset filius ille, cui cum plena potestas esset vel facienda vel eligendi quantam vellet, non eligeret matrem longe omnium nobis

*Ioan. 3.*

*Prōu. 7.*



## B. VIRGINE.

nobilissimam & honoratissimam?  
Quare cum filius Dei solus hanc  
potestatem habuerit eligendi vel  
faciendi Matrem suam; quis dubi-  
tet, ab eo electam vnam omnium  
creaturarum præstantissimam &  
honoratissimam? vt sicut gloriaba-  
tur de Patre Deo, posset quoque me-  
rito gloriari de Matre, atque ita ra-  
tione vtriusque parentis appareret  
verè excellens & gloriosus. Tale er-  
go fuit hospitium, talis fuit hor-  
tus floridus, quem Spiritus sanctus  
vnigenito DEI filio præparauit.  
Nec mirum talem locum tali ho-  
spiti attributum: de eo enim scri-  
ptum est, quod habitet in hortis, &  
pascatur intra lilia, nec requiescat  
nisi in lectis floridis, & varijs ac o-  
doriferis virtutum floribus exor-  
natis.

3. CONSIDERA, quomodo  
hæc generosissima mulier, non so-  
lum omnes alias fortitudine & di-  
gnitate præcesserit, sed etiam supra  
omnes puritate & innocentia qua-  
dam singulari speciatim dotata fue-  
rit. Legimus in diuinis litteris, Deū  
creauisse primum parentem nostrū  
Adamum è terra adhuc virgine &



IO MEDITAT. DE

Rom. 5.

Psal. 34.

pura, nondum maledictioni subiecta. Vnde cum primus ille parēs noster fuerit (vt loquitur Apostolus) forma futuri sæculi, & secundi Adami Domini nostri figura, congruentissimum certè erat CHRISTVM, qui diuinæ suæ personæ dignitate infinitis partibus excedebat Adamum, è terra purissima, & omnis maculæ experte formari. Quæ verò alia fuit hæc terra, nisi virgo MARI A? quæ plena semper fuit benedictionibus, vt de ea loquitur Propheta, *Benedixisti Domine terram tuam.* Ac rectè quidem vocatur terra. Vt enim terra nostra diuersos producit fructus in vsum & utilitatem hominum: Sic MARI A Virgo produxit & peperit nobis illum benedictum & sublimem fructum ventris sui, qui salutem attulit toti mundo. Adhæc, sicut prima mulier EVA (quæ non minus fuit imago & figura secundæ Eux Matris Dei, quam Adamus fuit CHRISTI) à Deo producta est ex costa Adami, tota pura & innocens, omnis maculæ experta: ita conueniens fuisse videtur, vt Mater ipsius Dei, speciali gratia immunis seruaretur ab omni

mi



B. VIRGINE. 31

maui macula, quam alioquin lege  
naturæ nostræ corruptæ incurrere  
deuisset. Et si tantum bonum con-  
tigit illi, quæ inuentrixerat mortis,  
& mūdo intulerat maledictionem  
cur illud detrahemus Mariæ, q̄ Ma-  
ter fuit Regis vitæ nostræ reparato-  
ris? Legimus item Deum primo ho-  
mini, cum eum creasset, dixisse, *Fac* Gen. 22.  
*ciamus adiutorium simile illi*, atque ita  
ē costa Adami Euam formasse, in o-  
mnibus & per omnia (quantum eius  
natura postulabat) viro similē. Quæ  
figura præcipue cōuenit in Christū,  
sicut & cætera omnia facta ac figuræ  
Legis veteris. Etenim, cum DEVS  
decreuit filio suo vnigenito, pro re-  
dimendo genere humano assumen-  
dam esse carnem, simul etiam de-  
creuit & prædestinauit, quæ debe-  
ret eius esse mater, & redemptionis  
nostræ cooperatrix. Atque vt ipsi,  
quoad fieri posset, similima es-  
set, omnes eas dotes & prærogati-  
uas in eam contulit, quas nulli vn-  
quam creaturæ puræ ante contule-  
rat, & quæ Matri tanti filij congrue-  
bant. Vide igitur quam hæc bea-  
tissima Mater sit similis filio suo:

A 6 nam



nam sicut ille est filius Dei, sic & hæc licet dissimili modo: ille sponsus, hæc sponsa. CHRISTVS simul Deus est & homo, MARIA simul virgo est & Mater. CHRISTVS est virgo & Pater noster. MARIA quoque est virgo, & mater nostra. CHRISTVS est via & porta, per quam ad nos venit salus. MARIA item est porta cæli, & porta lucis, per quam vita ingressa est in mundum, & per quam homines aditum habent ad cælum. Itaq; videtur admodum fuisse conueniens, vt sicut CHRISTVS fuit totus purus, & sine peccato conceptus; sic illa quoque, non iam per naturam, & ex debito (quod soli filio competeat) sed ex peculiari gratia & priuilegio eiusdem sui filij citra omnem peccati maculam conciperetur. Si enim omnis creaturæ perfectio sita est in similitudine sui Creatoris, eoque perfectior est, quo & similior; non dubium est, quin MARIA virgo, cum beneficio gratiæ perfectissima inter omnes creaturas euaferit, eam in omnibus autori gratiæ, cui in opere salutis nostræ quasi cooperatrix adiuncta est, cæteris



## B. VIRGINE.

teris quoque similiorem fuisse. Denique, si summus ille sanctitatis puritatisque amator à ministris materialis templi exigebat tantam sanctitatem, & tot ritus purificationis, eoque maiorem, quo quisque præstantius, Deoque vicinius gerebat officium: cum B. Virgo inter omnes puras creaturas proxima Deo accesserit, solo nomine & officio excellentissimo Matris Dei, conueniens certe fuit, eam puritate tantum hominibus & angelis antestare, quanto ad ipsum Deum fontem puritatis vicinius accesserat.

4. CONSIDERA, quam bene illi figuræ, & vaticinia veterum Patrum conueniant, & quam illustre testimonium præbeant puritatis, & excellentiæ huius sanctissimæ Matris: illa enim fuit felix illa domus, quæ pro sua habitatione æterna sapientia elegit & fabricauit, & in qua diuinitatis plenitudo, non solum spiritualiter, & secundum gratiam in anima, sed etiam corporaliter in uero habitauit. Hanc domum ipse Deus septem illis columnis fortissimis, septem donorum Spiritus sui sancti, Sapientiæ, scilicet, Intellectus,



14. **MEDITATI. DE**

Consilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis & sancti Timoris Domini fundavit & ornauit. *Fundamenta eim in montibus Sanctis*, dicebat Propheta, loquens de hac beata domo, de hac ciuitate Dei, de hoc sacro templo, quod fundari debuit, non super fundamenta vilis & abiectæ materiæ (sicut sua palatia fundare solent architecti huius mundi) sed super columnas solidissimas, supra montes & lapides pretiosos, quemadmodum legimus Salomonem in extruendo templo Dei, in fundamenta deiecisse lapides admodum grandes & pretiosos: vnde intelligere licet, prima fundamenta a Deo iacta, quando creauit, & fabricauit hanc domum, non fuisse fragilia, aut ob peccati originalis foeditatem vilia, sed solida, pretiosa & sancta, ex speciali diuinæ gratiæ suæ dono: idque admodum erat conueniens. Nam in creatione mundi, vt loquitur scriptura, cum Dominus creasset terram, elementum tam vile, vidit quod esset bonum: sic idem Dominus creans matrem suam, quæ dignitate & excellentia excedit non solum

*Psal. 86.*

*3. Reg. 8.*

*Gene. 1.*



solum terram, sed etiam cælum,  
 ipsosque angelos, dici potest, quod  
 non viderit eam malam, hoc est,  
 peccatricem & maledictam, sed be-  
 nedictam & sanctam. Hæc est illa  
 sancta arca testamenti fabricata ex  
 lignis incorruptilibus, tota autem  
 purissimo circumuestita, in qua  
 recludi & seruari debuit cælestis  
 panis, illud dulcissimum Verbi in-  
 carnati manna; nã in sacro illo cor-  
 pore animaque virginis nulla un-  
 quam fuit peccati corruptio, sed  
 semper fuit innocens, semper pu-  
 ra, & semper gratia plena, & instar  
 regiae virgæ lesse semper fuit recta  
 & munda, sine vlllo culpe origina-  
 lis nodo, sine cortice culpæ ve-  
 nialis, sine plica peccati mortu-  
 lis. Hæc est thronus ille regius, 3. Reg. 10.  
 in quo sessurus & quieturus erat  
 verus rex Salomon, quem dicit  
 Scriptura fuisse magnum & è can-  
 didissimo ebore, autemque admodum  
 fuluo fabrefactum. Magna verè fuit  
 MARIA, quia magnus est Deus, qui  
 in illa factus homo quiescit. Vnde  
 hic mysticus thronus maior & ca-  
 pacior fuit cælo & terra, sicut de eo  
 cantat Ecclesia, *quem totum non capit*  
*orbis,*



## 16      MEDITAT. DE

*orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Est quoque magna, quia sanctitate & virtute longe excellit cæteras omnes creaturas. Illa est mons altissim<sup>9</sup>, alij verò omnes sunt quasi valles humiles & abiectæ. Illa est regina & imperatrix cæli & terræ, reliqui autem comparatione huius sunt subditi & tributarij. Erat hic thronus fabricatus ex ebore, qui suo admirabili candore, robore, & frigiditate figurabat puritatem, fortitudinem, & innocentiam matris Dei: quis enim candor maior potuit esse Virginitate illa, quæ gratiosa sua specie angelos, totumque cælestem exercitum in sui cōspectum allexit? Ac quid esse fortius potest fortitudine, per quam Dominus omnis fortitudinis vicit, & fortem illum armatum spoliauit, qui toti mundo tyrannicè dominabatur? & quæ substantia potest esse frigidior illa, quæ virtute altissimi fuit obumbrata, & plenitudine Spiritus Sancti conservata, extincto in ea omni ardore & peccati fomite? Deinde per aurum illud fulvum, mirificè collucens, quo thronus hic erat vestitus, significata est præcellens eiusdem Virginitatis



B. VIRGINE. 17

nis caritas : qua caritate non modo  
superavit reliquos omnes sanctos,  
sed etiam ipsos Seraphinos; per qua  
tantoperè placuit altissimo , vt ille  
voluerit de cælo descendere , & car-  
nem ex purissimo eius vtero susci-  
pere: de qua ipsa loquens in persona  
Sponse dicebat . *Introduxit me rex in* Cant. 2.  
*cellam vinariam, ordinavit in me carita-*  
*tem.* De hoc throno dicit Scriptura,  
nunquam tale opus in toto man-  
do fabricatum fuisse ; atque ideo in  
huius beatissimæ Virginis laudem  
rectè canit Ecclesia . *Nec primam simi-*  
*lem visa est, nec habere sequentem.* Vnde  
& conueniebat eam , quæ æterni  
Verbi mater esse debuit tanta puri-  
tate nitere, vt post DEVM nulla cre-  
atura esset maior vel purior . Erat  
quoque M A R I A hortus Domini Cant. 4.  
deliciarum plenissimus, vndiq; con-  
clusus & septus, in quem antiquus  
serpens nunquam intrauerat : nam  
vti DEVS per Prophetam de Rege  
Assyriorum, qui urbem Hierosoly-  
morum expugnare conabatur, dixit,  
*Non ingredietur urbem hanc, nec mittet* Esaiæ 37.  
*in eam sagittam, nec occupabit eam cly-*  
*peus, nec circumdabit eam munitio, pro-*  
*tegamque urbem hanc, & saluabo eam pro-*  
*pter.*



18 MEDITAT. DE

pter me, & propter David seruum me-  
am. Sic DEVS sanctam Virginem  
præuenit in benedictionibus dulce-  
dinis, eamque ab omnibus inimici  
infernalis insultibus defendit; custo-  
ditque vt non posset sagitta mor-  
tali, veneno, scilicet, maculæ ori-  
ginalis lædi, quo dæmon confixe-  
rat & infecerat totum genus huma-  
num. Præterea erat hæc beatissima  
Virgo illa resplendens Aurora, quæ  
inde ab initio sui ortus, diuinis Solis  
iustitiæ radijs ita collustrata fuit, vt  
nulla vnquam caligine, nullis pec-  
cati tenebris offuscata fuerit; sic-  
ut de ea vaticinatus sanctissimus  
Iob dicebat. *Expectet lucem, &*  
*non videat, nec ortum surgentis auroræ.*  
Nox illa obscura & caliginosa nun-  
quam ad lucem veri Solis CHRIS-  
TI Domini nostri pertingat, in  
quam nunquam inciderunt, velet-  
iam incidere potuerunt peccatorum  
tenebræ: minus verò videat nascentis  
auroræ principium, quæ fuit  
Mater sua purissima, cuius conce-  
ptio per gratiam filij quoque pura  
fuit & immunis ab omni macula.  
Ad hæc verba illa, quæ dixit DEVS  
ad serpentem, se inimicitias positu-  
rum.

*Iob 3.*

*Gene. 3.*



rum inter ipsum & mulierem, & inter vtriusq; semen, ipsam mulierem contrituram serpentis caput, certum est in nullam aliam veteris vel noui testamenti mulierem conuenire, nisi in hanc sanctissimam & potentissimam Virginem: quæ sola peculiarem inimicitiam cum antiquo serpente habuit, & sola suæ eximia innocentia, humilitate, & prudentia, & multo magis beneficia benedicti fructus ventris sui illi caput contriuit. Hæc quoque est speculum sine macula, semper relucens & resplendens, nulla vel minima peccati fæditate infectum, exemplar illud & forma virtutum, sicut in persona eius scriptum est.

*Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis, & sanctæ spei, in me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* Hæc virgo beata denique est pulcherrimus ille flos Iericho, quæ sine vlla peccati spina producta est; est candidum & odoriferum lilium, cui comparatæ omnes mulieres aliæ possunt appellari spinæ, sicut de ea dixit sponsus. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: omnes enim.*

Sap. 31

Eccl. 24.

Ibid.

Cant. 2.

enim.



## 20      MEDITAT. DE

enim aliæ inquinatæ sunt peccato, sed sponsa & altissimi amica, tam in conceptione sua, quam in omni vita semper fuit pura, semper fuit sancta, & inter omnes filias Hierusalem gratiosissima.

*Prov. 8.*

5. I A M verò considera, cum hæc beatissima Virgo ab æterno electa & prædestinata fuerit, ut esset thalamus mundissimus æterni Regis, & diuinitatis ipsius dignissimum domicilium, quam bene de ea scriptum sit, *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Quamuis enim hæc verba propriè intelligantur de æterna sapiëntia, tamē ab Ecclesia sancta admodum conuenienter accommodantur Beatæ Virgini, ob summam conformitatem & vnionem quam illa habet cum CHRISTO Patris sapientia, quæ ex illa carnem assumpsit, & in illa habitauit. O fælix & fortunata mulier, in quam DEVS optimus maximus inde ab ipsa æternitate oculos suos defixit; sic ut semper in eius cōspectu fueris, semper ab eo tanquam re sua possessa, & à primo cōceptionis tuæ momento, vsque ad vitæ extremum ab eodē associata; quod Angelus quoque  
ver-



verbis illis, quibus te salutavit expressit, dicens, *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Itaque alienissima semper fuisti ab omni peccati macula, & omni maledictione. Nam qui grauibus peccatis obnoxij sunt, nec secum Dominum habent, nec à Domino possidentur, sed potius à diabolo huius mundi principe: nam ut ait Apostolus, *Qui facit peccatum Rom. 6. seruus est peccati, ac proinde & diaboli.* Deinde sequitur in scriptura. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret,* id est, ab omni æternitate formata sum & prædestinata. Si Apostolus loquens de se, alijsque sanctis dixit, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius;* quanto rationabilius de hac purissima Virgine dici poterit, eam à Domino ante mundi creationem electam, ut esset sancta & immaculata mater vni geniti sui filij? Et si mysterium incarnationis, ut scribit B. Petrus à Deo *1. Pet. 1. ante constitutionem mundi præuisum & decretum est,* & nouissimis tandem temporibus in salutem hominum patefactum; cur non etiam rectè dici poterit hanc beatissimam  
 Virgi-

Luc. 1.

Rom. 6.

Ephes. 1.

1. Pet. 1.



Virginem (cuius interuentu inefabile hoc sacramentū compleri debebat) ante mundum conditum preuisam, & postea extremis temporibus manifestatam? Sanctam ergo & immaculatam, vt dicit Propheta, decet esse hanc Domini domum, hanc ciuitatem Dei, quam ante omnem aliam creaturam elegit in suum habitaculum, & suis manibus fundauit, sicut de eo testatur Propheta. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* quasi diceret. Quid miramini huius ciuitatis excellentiam? cum ille ipse qui eam fundauit, voluerit eam in matrem eligere. Sequitur in scriptura. *Non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Quæ verò aliæ sunt hæc abyssi, nisi abyssi peccati, æternæ mortis & damnationis? in quas omnes Adæ filij, tum per noxam originalem, tum per actualem quotidie labuntur, & opus habent liberatore? Verum Mater Dei concepta dicitur ante abyssos, eo quod antequam in illas incideret, à Domino fuerit præseruata & liberata, sic vt sine illis fuerit concepta, & abyssi nihil amplius iuris in eam sibi vendicarent. ac

*Psal. 92.*

*Psal. 86.*



certe valde conueniens erat, vt illa, cuius filius alios debebat à peccato originali liberare, non esset eidem peccato obnoxia. Congruebat quoque hominum creatorem, quando quidem futurus erat homo, & nasci ex homine, eligere matrem sanctam & immaculatam, è qua ille velut immaculatus agnus in mundum editus, omnes purgaret & mundaret à macula peccati: sicut & illam voluit esse humilem, vt ipse item mitis & humilis corde ex illa natus salutare harum virtutum exemplar hominibus relinqueret.

6. CONSIDERA denique, cum DEVS in matrem suam MARIAM omnium bonorum plenitudinem effuderit, & supra omnes creaturas ornarit & honorarit, quanto deuotionis affectu eam velit quoque à nobis coli & honorari. Si quæ enim in nobis est spes, si gratia, si salus aliqua, ea omnis redundat suo modo ex plenitudine illius, vtpotè quæ omnibus charismatibus cælestibus ac delitijs affluat. Plurimum verè nocuit humano generi vir vnus, vnaque femina: verum Dei nostri elementissimi beneficio, per vnū item virum, vnā-

vnā-



vnamque foeminam damnatum omne compensatum est, & quidem maiori fenore: nam huius beneficii magnitudo longissime excedit gravitatem damni: diuinus enim artifex DEVS, opus suum deformatum & debilitatum, omnino in nihilum redigere noluit, sed potius magno cum fructu refecit, constituens in locum veteris Adami diuinorum mandatorum transgressoris, obedientissimum filium suum, & in locum peccatricis EVAE, MARIAM virginem innocentissimam. Solus quidem CHRISTVS verè sufficiens fuit ad nostram redemptionem: ab illo enim omnis nostra sufficientia est: Sed tamen propter nos conuenientius fuit, vt sicut in perditione, ita etiam in redemptione nostra vterque sexus concurreret. Verè potens Mediator inter Deum & hominem est CHRISTVS IESVS, sed vehementer in eo homines timent diuinam maiestatem. Vnde opus fuit alio mediatore ad hunc mediatorem, non potuit autè excogitari opportunior vel vtilior MARIA. Nihil ergo amplius habet humana fragilitas quod reformidet; nihil est, quod homi-



hominem peccatorē retardare possit, quin confugiat audacter ad **MARIAM**: in ea enim nulla austeritas, nihil terribile apparet, tota suavis est & dulcis: mansucta est & humilis ad audiendū omnes quotquot ad eam recurrerint: potens est ad omnem impetrandam gratiam, quam voluerit. Illa denique est, cui **DEVS** claves cælestis thesauri concessit.

Quid verò mirum eam factam custodem & dispensatricem thesaurorum eius? quæ facta est custos vni geniti eius filij? & ita quidem facta est, vt pro beneplacito suo eum tractare posset, nec ille aliud faceret, quam matri collibuisse. Gubernat quidem **DEVS** omnia per sanctissimam animam atq; humanitatem **CHRISTI** Saluatoris nostri, tanquam per Ecclesiæ suæ caput, à quo omnes gratiæ & dona ad cætera huius corporis mystici membra deriuantur; sed vult omnia quoque transire per manus **MARIE**, quæ in hoc corpore est quasi colum, per quod à capite velut fonte omnium charismatum, in nos, qui sumus eius membra, omnes cælestium bonorum riuuli dimanant.

B

Erant



Erant olim hominum pectora hoc  
in fluxu destituta omnino arida  
& sitibunda. atque ideo antiqui  
Patres cælum complebant eiusmodi  
clamoribus: *Rorate cæli de super,*

*Isaie 42.*

*☉ nubes pluant iustum, aperiatur terra,  
☉ germinet Salvatore[m],* veniat fons  
vivi Verbi æterni, qui habitat in  
excelsis, & nobis suas salutare[s] a-  
quas communicet: sed quis erit a-  
quæ ductus, quis canalis, per quem  
deriventur aquæ, nisi ista? in

*Eccl. 24.*

cuius persona scriptum est. *Ego quasi  
aqua ductus exiui de paradiso.* Rectè  
autem dicit exisse de paradiso; nam  
tota huius magnæ mulieris vita, in-  
de à primis conceptionis initijs, v-  
sque ad eius finem, potius cælestis  
fuit, quam terrena. Hic fuit aquæ  
ductus ille, qui recepta è sinu Pa-  
tris diuini fontis plenitudine, il-  
lum nobis produxit & communica-  
uit, vt illo degustato homines sub-  
leuantur in cælum. Vnde bene  
dixit Angelus, *Inuenisti gratiam apud  
DEVM,* quæ gratia non est aliud,  
quam *CHRISTVS* ipse, quasi di-  
ceret: *Inuenisti DEVM apud  
DEVM,* filium apud Patrem, illa  
enim eundem filium genuit, quem

Pa-



Pater ab æterno genuerat. Merito ergo de ea dici potest, *Quod venerunt Sap. 7. nobis omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius:* illa enim fuit prima quæ suo exemplo persuasit mundo virginitatem & castitatem: & illa est cuius ope & auxilio homines nobilem hanc virtutem obtinent, & in carne fragili, mundi & puri ab omni macula conseruantur. Ergo anima mea gratias age, gaude & exulta in Domino, cui placuit facere Matrem tam puram, tam pulchram, & tam sanctam. Lætare cum eodem Domino tuo, ob summam gloriam & laudem, quæ inde in suam diuinam redundat Maiestatem; tanta enim fuit eius bonitas vt tantos donorum, & gratiarum cælestium thesauros sine vlla inuidia conferre voluerit in vnâ puram creaturam. Lætare deinde cum ipsa; nam cum Deus eam elegerit in matrem, digna certe est omni honore, omni gloria, omni exaltatione. Lætare denique tecum, quia quicquid à Deo præstitum est huic benedictæ matri, id causa tuæ salutis factum est: voluit



## 28      MEDITAT. DE

enim DEVS eligere matrem in terra, vt carne ex ea assumpta, posset pro te pati, & te à dæmonis liberare tyrannide. Voluit esse totam pulchrâ, & ab omni peccati macula immunè, vt Maiestati suæ gratior facilius pro te impetrare posset quamlibet gratiam. Voluit denique plenam esse caritate, vt in te aliosque peccatores magis esset clemens & misericors, benignè recipiens omnes ad se confugientes. Non satis fuit tibi, mi Domine, vt te nobis dares in Patrè misericordiarum, & omnis consolationis, sed voluisti nos quoque habere matrem misericordiæ, vt in securo eius sinu, si quando ob lapsum aliquem ad eam perfugeremus, à iusta & paterna ira tua defenderemur & custodiremur. Neq; dubitamus eam pro sua reuerentia à te exaudiendâ, cum nihil minus facere possit filius, quam vt exaudiat matrem, & pater filium dilectum. Quare, sicut Ecclesia in laudem Saluatoris canit. *Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*, ita poterimus dicere. *Felix culpa, quæ talem ac tantam meruit habere redemptoris matrem*. tam sanctam, tam potentem, tam misericordem.

COL



## COLLOQVIUM.

**O** Mater beatissima, ô Virgo Virginum, quę omnes angelos puritate, & omnes Sanctos misericordia excellis, oro te per immaculatã conceptionem tuam, vt, sicut Deus, quo dignum esses Vnigeniti filij sui habitaculum, te puram & ab omni macula immunem seruare voluit, sic ab eodem filio tuo impetrare mihi velis peccatorum meorum veniam, & simul gratiam impetrare omnem vitam meam omni mentis puritate, cordis munditia & corporis castitate transigendi, vt merear cum omni deuotione tuas laudes prædicare, & in morte per benedictas manus tuas mundus, & ab omni culpã liber, Domino & Redemptori præsentari, ad colendum & laudandum illum, & simul te matrem suam sanctissimam per sæcula sæculorum. AMEN.

## DOCUMENTA.

1. **D**OMINVS possedit me initio *Proa. 8.*  
 viarum suarum. *Dem, quia no-*  
*ster creator est, simul legitimus Dominus*  
*& possessor noster est. Et tunc perfecte*  
*nos possidet, quando nos diuinis eius man-*  
 B 3 *datis*



dati obsequimur, & in omnibus sanctam eius voluntatem prestamus. Unde peccatores, qui precepta Dei non observant, sed voluntatem diaboli faciunt, & parent legibus mundi, potius ab ipso diabolo, quam à Deo possidentur. Itaq; o homo peccator, si tanta commiseratione mokeris, dum vides corpus hominis à maligno spiritu obsessum tam diro cruciatu exagitari, habeas quoque commiserationem oro, anime tue, que à tot demonibus possidetur, quod peccatis mortalibus illam inquinasti.

2. BEATISSIMA Virgo, quia semper à Deo possessa est, semper pacem cum eius Maestate habuit, & contra, perpetuam inimicitiam cum demone. Hæc sunt signa, ex quibus homo potest cognoscere, sitne anima sua à Deo possessa, an à demone: qui enim Domino alicui seruit, necesse est ut illum benevolū habeat eiq; obsequatur vel formidine penæ vel virtutis amore. Quare quando quis sentit pium affectum erga Deum creatorem suum, cum desiderio illi placendi, atque in omnibus rebus voluntatem eius prestandi, cum delectatur cogitationibus colloquijsq; diuinis, seq; libenter occupat in reb. quas novit Deo gratas, quando conatur perturbationes animi sui coercere & tentationib. resistere, hæc manifesta signa sunt eum animam à Deo possideri.



fidere & inhabitari. Contra, quando quis magnam voluptatem capit ex rebus huius mundi, dignitatibus, delitijs & vanitatibus, quando sepe de eiusmodi cogitat, loquitur, magnoque studio & sollicitudine illa sectatur, & desiderat: sermones vero de rebus diuinis, ad salutem animæ spectantibus audit cum merore & amaritudine conscientie, hæc signa sunt & inditia clara talem possideri & regi non à Deo, sed à principe huius sæculi, id est, demone

3. AB æterno ordinata sum, & electa à Domino. Si Deus ante res omnes elegit & prædestinavit matrem suam ad tantam glorie dignitatem, ornando eam ijs dotibus & privilegijs, quibus nulla unquam creatura cohonestata fuit; quid aliud inde colligimus, quam omnes homines debere eam post Deum supra omnes alios sanctos colere & honorare, suamque deuotionem erga illam peculiariter declarare, & inter reliquos sanctos in singularem aduocatam assumere, ac ad eam in omnibus tam corporalibus, quam spiritalibus, necessitatibus confugere?

4. Scriptum est Dominum de hac sua sanctissimam matrem dixisse. In Israel hereditare, Eccl. 24. & in electis meis mitte radices. Hoc unum è certioribus electionis & prædesti-



22      **MEDITAT. DE**

nationis diuine signis est; voluptatem aliquam ex dulcissimis hisce radicibus capere, hoc est, particularem erga beatissimam Virginem deuotionis affectum habere, eam omni studio, quoad fieri potest, colere & venerari, virgineasq; eius virtutes ac precipue humilitatem, puritatem, caritatem & obedientiam imitari; secundum illud dictum sapientie in persona eius expressum. Qui elucidant me, **Eccl. 24.** vitam æternam habebunt.

5. Si **DEVS** ab omni æternitate sua elegit, & preparauit Matrem suam cum tantis dotibus & priuilegijs, & speciatim tam excellenti puritate, quanta nulli vnquam concessa est: concepta enim est sine vlla peccati macula; & si à condito mundo vsque ad eius conceptionem tot figuris & vaticinijs eam adumbravit & prænuñciauit, idque eo solum quod receptura & corporaliter deportatura esset in utero vnigenitum eius filium: quanta præparatione & puritate opus erit illis, qui sanctissimi Sacramenti beneficio in animis suis recepturi sunt, illum ipsum Dei filium, qui descendit in uterum Virginis? Quam mundum conuenit esse os illud, in quod ingreditur Deus, quam purum cor & animam illam, in qua ipse Deus habitabit? Et si hæc puritas omnibus est necessaria.



ria, quanto magis Sacerdotibus Domini,  
 qui non solum Deum in se recipiunt, sed  
 quotidie etiam manibus suis tractant, ali-  
 lijsque distribuunt. De his enim specia-  
 tim scriptum est, Mundamini, qui fer- *Esaiæ 62.*  
 tis vasa Domini.

6. Sicut Mater Dei fuit ab eterno ele-  
 cta & predestinata cum omnibus dotibus,  
 quas Dominus illi communicavit, sic etiã  
 ab eterno Deum constituit creare omnes  
 homines, & simul præordinavit oēs gra-  
 tias & beneficia, quæ unusquisque deinceps  
 à sua Maiestate recepit, aut receptu-  
 rum est. Vnde colligimus, quam immensa  
 sit bonitas & charitas Dei erga nos, &  
 quam magna sit ingratitude nostra erga i-  
 psum: nam ille inde ab omni eternitate,  
 quantumvis scelera & indignitatem no-  
 stram prævideret, cogitavit & decrevit  
 nos omnibus beneficijs afficere, quæ nos de-  
 inde recepimus, nos verò è contrario à vi-  
 te nostra initio, non aliud vel cogita-  
 vimus vel agimus, quam quomo-  
 do Deum offendamus, &  
 iniuria afficiamus.

(..)

B S D E